Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26491
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Mulieres in ecclesiis taceant. Non enim permittitur eis loqui. sed subditas esse sicut et lex dicit. Si quid autem volunt discere domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieribus loqui in ecclesia. An a vobis verbum dei processit. aut in vos solos pervenit. Si quis videtur propheta aut spiritalis cognoscat quae scribo vobis. quia domini sunt mandata. Si quis autem ignorat ignorabitur. Itaque fratres aemulamini prophetare et loqui linguis nolite prohibere. omnia autem honeste et secundum ordinem fiant in vobis. Notum autem vobis facio fratres euangelium. quod praedicavi vobis quod et accepistis in quo et statis. per quod et salvamini. qua ratione praedicavim vobis si tenetis. nisi frustra credidistis. Tradidi enim vobis in primis quod et accepi. quoniam christus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas. et quia sepultus est. et quia resurrexit tertia die secundum scripturas. et quia visus est cephae. deinde per xi. Deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul. ex quibus multi manent usque adhuc. quidam autem dormierunt. Deinde visus est iacobo. deinde apostolis omnibus. Novissime autem omnium tamquam abortivo visus est et mihi. Ego sum minimus apostolorum. qui non sum dignus vocari apostolus quoniam persecutus sum ecclesiam dei. gratia autem dei sum id quod sum. Sive ergo gratia eius in me vacua non fuit. sed habundancius omnibus illis laboravi. Non autem ego. sed gratia dei mecum. Sive enim ego sive illi sic praedicamus. et sic credidistis. Si autem christus praedicatur quod resurrexit a mortuis. quomodo quidam dicunt in vobis. quoniam resurrectio mortuorum non est. Si autem resurrectio mortuorum non est. neque christus resurrexit. Si autem christus non resurrexit. inanis est ergo praedicatio nostra. inanis et fides vestra. Inveniemur autem et falsi testes dei. quoniam testimonium dicimus adversus deum. quod suscitavit christum quem non suscitavit si mortui non resurgunt. Nam si mortui non resurgunt. neque christus resurrexit. Quod si christus non resurrexit. vana est fides vestra. Adhuc enim estis in peccatis vestris. Ergo et qui dormierunt in christo. perierunt. Si in hac vita tantum sperantes sumus in christo. miserabiliores sumus omnibus hominibus. Nunc autem christus resurrexit a mortuis primus. dormientium. quoniam quoniam per hominem mors. et per hominem resurrectio mortuorum. et sicut in adam omnes morimur. ita et in christo omnes vivificabuntur. unusquisque autem in suo ordine primus christus. deinde qui sunt christi in adventu eius. deinde finis. cum tradiderit regnum deo et patri.

X fres.

fres.

credidistis